



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Exponuntur tres conditiones ex parte actûs meritorii requisitæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

ARTICULUS II.

Quæ conditiones ad meritum requirantur?

11. Terminata questione, an sit in hominibus meritum de condigno apud Deum, consequens est, ut quid sit tale meritum declarem; quod non potest à nobis melius explicari, quam conditiones ad tale meritum requisitas exponendo. Hæ autem ex tribus præcipue capitibus requiri possunt: primò ex parte actus capacis meriti: secundò ex parte hominis merentis: tertio ex parte Dei apud quem meretur. Ex parte actus tres requiruntur conditiones, nempe quòd sit liber, bonus, & utilis alteri, seu factus in obsequium alterius. Ex parte hominis merentis duarum tantum necessariz sunt, scilicet quòd sit in statu gloriæ habitualis seu sanctificantis, loquendo de merito beatitudinis supernaturalis, & quòd sit in statu viæ. Ex parte verò Dei, apud quem homo meretur, requiritur aliqua ordinatio operis meritorij ad præmium. De conditionibus primi & secundi generis agemus in hoc articulo, de ultima verò dicemus in sequenti.

§. I.

Exponuntur tres conditiones ex parte actus meritorij requisitæ.

12. Dico primò: Ut actus sit meritorius, debet esse liber, non solum libertate imperfecta & inchoata, quæ spontaneitas dicitur, & solum immunitatem à coactione importat, sed etiam libertate perfecta & completa, quæ indifferentiâ activam, seu potentiam ad oppositum requirit.

Hæ conclusio est certa de fide, definita ab Innocentio X. in sua Constitutione, ubi hæc propositionem ut hæreticam proscibit: *Ad merendum & demerendum in statu nature lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed solum à coactione.* Eandem propositionem ut hæreticam prius damnaverat S. Thomas quæst. 6. de malo, art. unico, his verbis: *Quidam posuerunt quòd voluntas hominis ex necessitate moveretur ad aliquod eligendum, nec tamen possent quòd voluntas cogere: non enim omne necessarium est violentum, sed solum id cuius principium est extra; unde & motus naturales inveniuntur aliqui necessarii, non tamen violenti, &c.* Hæc autem opinio EST HÆRETICA, vult enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus: non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quòd aliquis sic ex necessitate agit, quòd vitare non possit. Idem docet in hac parte quæst. 2. art. 3. ubi rationem meriti & demeriti ponit ut proprietatem actus moralis & humani, de cuius ratione est libertas indifferentiæ. Unde in solut. ad 2. docet hominem esse dominum illorum actuum per quos meretur. Et art. 4. ad 2. sic ait: *Homo sic movetur à Deo ut instrumentum, quòd tamen non excludit quòd moveat seipsum per liberum arbitrium: & ideo per suum actum meretur vel demeretur apud Deum.*

13. Favent etiam SS. Patres: Hieronymus enim lib. 2. contra Iovinian. ait: *Vbi necessitas, nec corona, nec damnatio est.* Et Bernardus serm. 81. in Cantica: *Vbi non est libertas, nec meritum.* Unde Sapiens Eccles. 3. 1. explicans quâ ratione iustus bene operando meruerit laudem, dicit: *Qui per-*

Tomus IV.

aut transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: quia sine hac libertate indifferentiæ, & potentia ad agendum vel non agendum, nihil esset admiratione vel præmio dignum in operibus iustorum.

Ratio etiam suffragatur: Primò quia esse meritorium, vel demeritorium, est proprietas quædam actus humani: Sed actus purè spontanei, & à sola coactione, non verò à necessitate immunes, non sunt propriè humani: Ergo nec meritorij vel demeritorij. Minor probatur: Ille actus propriè humane dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt, ut ait S. Thomas supra quæst. 1. art. 1. Sed actus purè spontanei non procedunt à voluntate deliberata, id est, ex deliberatione rationis, & electione voluntatis, ut patet in amore beatifico, vel in volitione boni ut sic: Ergo non possunt dici propriè actus humani.

Secundò: Inter eum qui meretur, & eum qui præmiatur, est quidam contractus; nam qui meretur, exhibet obsequium suum, qui autem præmiatur, dat mercedem: constat autem quòd inter contrahentes nullus dat aliquid, nisi habeat ejus dominium, unde actus meritorius debet esse sub dominio merentis: Sed dominium voluntatis est per libertatem indifferentiæ, per quam in ejus potestate est agere, vel non agere, aut agere hoc vel illud, ut docet S. Thomas 1. p. quæst. 82. art. 1. ad 3. dicens quòd *sumus domini nostrorum actuum, secundum quòd possumus hoc vel illud eligere:* Ergo actus meritorius debet esse liber libertate indifferentiæ, & non solum libertate spontaneitatis, seu immunitatis à coactione. Unde commune Theologorum proloquium est, desumptum ex Aristotele 3. Ethic. cap. 5. *Naturalis neque meremur, neque demeremur.*

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò: Angelus in primo instanti meruit, & tamen in eo non erat perfectè liber. Similiter in Christo non fuit libertas indifferentiæ, & tamen in eo fuit perfectissimum meritum, ut docent Theologi 3. p. quæst. 19. Ergo ad meritum non requiritur libertas indifferentiæ, sed sufficit libertas à coactione. Unde S. Thomas in 3. sent. dist. 18. quæst. 1. art. 2. ad 5. sic ait: *Eriam si liberum arbitrium Christi esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quòd non facere non potest, tamen per hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coacte sed sponte tendit, & ita est actus sui dominus.*

Respondeo, quòd licet Angelus in primo instanti creationis non fuerit liber libertate specificationis, seu contrarietatis ad bonum & malum, quia in illo instanti peccare non poterat, fuit tamen tunc liber libertate contradictionis, seu quoad exercitium, quòd sufficit ad rationem meriti, ut in Tractatu de Angelis declaravimus. Idem dicendum de Christo: licet enim ille, ratione suæ impeccabilitatis, non esset liber libertate contrarietatis ad bonum & malum, erat tamen liber libertate contradictionis & exercitij. Vnde S. Thomas loco citato solum intendit, quòd etsi liberum arbitrium Christi esset determinatum ad unum, scilicet ad dilectionem Dei quoad perfectiones necessarias, poterat tamen migrare, quia cum tali determinatione remane-

Dist. 13. art. 5.